



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

84. Severianvs Parochus moribundum absoluit, alijsq[ue] Sacramentis munit; & licet hæc fecerit in peccato mortali existens, no[n] tamen peccauit propter angustias temporis, quæ vrserunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

vbi addit, nullum esse amatorem, qui non verecundaretur, & erubesceret, si talia munera sibi remitterentur; verè enim ea donant, licet ob deflexum finem.

Ad primum in contrarium negamus, munera illa dari tanquam pretium sub conditione exhibendi vsùs corporis, cum absolutè donentur, esto cum spe aliqua prædictum vsus corporis impetrandi; vnde etiam Diana *loc. cit.* ait, fœminas non recipere similia munera sub pacto, sive tanquam pretium impuditiæ, sed tanquam incitamentum. Ad secundum itidem negamus, Severam cooperari peccato Heri, qui donationem suam non amplius continuat, sed ex illâ iam præteritâ, & muneribus à se abalienatis solam turpè spem retinet, ad quam donataria non concurrit, neque illam fovet, sed potius irritam facit, & destruit, negando liberè & apertè rem speratam.

LXXXIV. *Severianus Parothus citò vocatus ad moribundum in vicinia confiteri volentem, angitur quidem conscius peccati mortalis, nec tam repente conteri se posse ratus, nihilominus adit ægrum, eumq; auditâ confessione absolvit, alijsq; Sacramentis munit. Queritur. An peccaverit mortaliter, quod ob angustias temporis non præmissâ contritione absolverit ægrum, aliâque Sacramenta administravit?*

Videtur sic peccâsse. Ita Iacobus Marchan-

tius de *Sacram.* Tr. 1. quest. Past. c. 4. q. 2. & nonnulli existimantes, nullam breuitatem temporis excusare posse.

Resp. Severianum non peccâsse mortaliter. Ita Card. de Lugo de *Sacram.* D. 8. s. 9. n. 151. & Dicastillo D. 3. de *Sacram.* in Gen. n. 214. vbi hanc responsionem vocat communem & receptam sententiam. Probat. Quia in tam inexpectato casu angustia temporis aliaque circumstantia ita occupare Sacerdotem possunt, vt reflectere se & conteri de peccato non possit, etsi huius recorderetur. Tum quia necessitas proximi, in cuius subsidium Sacramenta sunt instituta, præponderat præcepto de ministrandis illis in gratia, hâc enim ratione, cum vrget necessitas, multa sunt circa personam Principis, quæ extra necessitatem continent gravissimam irreuerentiam. Atque ex his patet ad rationem in cõtrarium.

LXXXV. *Sybillina marito suo fidem frangit, & ex adulterio Luxurium concipit, quem tamen viro suo supponit, interque alios proprios liberos educari illum sinit; post multos autem annos, Confessario iubente, adulterium suum aperit Luxurio, vetatque, ne tanquam spurius in hereditatem paternam cum alijs legitimis filijs veniat. Queritur I. An rectè Confessarius Sibyllinae præceperit vt flagitium suum filio detegeret? II. Vtrum Luxurius matri credere, & ab hereditate abstinere se peneatur?*

Videtur